KSIĄŻNICA CIESZYŃSKA

Zdigitalizowano w ramach projektu „OCHRONA I KONSERWACJA CIESZYŃSKIEGO DZIEDZICTWA PIŚMIENNICZEGO”

Ochrona i Konserwacja Cieszyńskiego Dziedzictwa Piśmienniczego

2007-2010

Wsparcie udzielone przez Islandię, Liechtenstein oraz Norwegię poprzez dofinansowanie ze środków Mechanizmu Finansowego Europejskiego Obszaru Gospodarczego

eea grants
iceland liechtenstein norway

Zrealizowano ze środków Ministra Kultury i Dziedzictwa Narodowego

+ IX 8/B

Annuæ Literæ Collegij Societatis IESU Hradisstij ad Annum 1708um.

Annus hic 1708us, quem CoLLegIVM HraDIstIense
Suo in Nomine ad amussim chronographicè referebat, nobis
insequentibus memorabilis erat: unam supervicenæ nume„
ravimus domi nostræ Personas, è quibus penè omnes ad calcem
anni invaletudine aliqua affectæ, nonnullæ à morte jam vicina
tentatæ fuêre, una duntaxat mortis tentationi succubuit: Chrus
Simon Machaczek 17. Decemb. à libitina decimatus. Sed prior tpre
et meritorum singularium jure laudes posthumas à nobis referri exigit,
longævæ mnemosyne dignissimus Pr Stanislaus Rajalius inter
Apostolicos labores crudeli cæde peremtus, et apud nos tumulo hono„
rificentissimè illatus. Pro cujus elogio adornando materia enco„
miorum aliò directa, fusiorem olim spondet calamum, et hypotyposim.
Nos annuarum limite angustiati nostra quæ de eo collegimus, damus:
Solum natale nactus est P. Stanislaus Fridecæ in Silesia Aº 1640.
7. Maij, habuit natalem dein eandem ut cruentam, ità piè, et
gloriosè fatalem. Socitem ingressus est 1660. 9º Octob. postquam
pro theatro Brunæ Samsonis egisset Personam non sinè omine. Phi„
losophiam, et Thlgiam in Socte absolvit, et unà per singulos annos velut
annonam, rerum doctrinalium analecta, sedulâ pennâ conscripsit.
Docuit Rudimenta, et Principia anno 1. Gramaticam 1. Pöësim 2.
Rhetoricam 15. egit Præfectum Scholarum 2. Concionatorem ad Studiosos
annis 3. Præsidem Sodalitatum 10. Catechistam 3. Consultorem
Collegij 2. Exhortatorem domesticum 2. Missionarium Episcopalem
ferè 20. annis Magister Philiæ promotus in Socte, et 4. votorum
Professus Aº 1678 2. Febr. Virtutum exercendarum theatrū,
quin imò latissimum campum nactus è potissimum Pr Stanislaus
in sua prolixa, et spatiosa Missione Episcopali; perquam temporis
intercapedinem nullis stragulis mollibus utebatur: hinc in Collegijs

hospes

hospes remotis stragulis humi decumbere amabat; ità in arcibus, et Pardijs sublatis lectisternijs pari in duritie decumbebat: repertus nonnunquam in dura humo extra arcem conquiescere lassus Sacer operarius. In corpus suum ruptum crudeliter desaeviebat, praecipuè, cum alicujus obstinati conversio praestolaretur; habetur in manibus nostris flagrum, quod ab inflictis repetitisque ictibus ità attritum est, ut violentiam grandem, quam in diverberando corpore adhibebat, manifestè testetur. Cibi, licèt vir vastissimus, et unà appetentissimus foret; nonnisi uno ferculo supremo Missionis suae tempore vescebatur, eoque grossiore; panem, et lac solum in delicijs habebat. Utque aliquando in affluxu ciborum commensales sanctè falleret, fercula quidem minutim conscindebat, sed ab esu abstinebat. Nullis patiebatur injurias, nec quidem animalculorum, alter in hoc Josephus Anchieta, è cujus manibus aves liberas, musculos concubicularios edere non abhorruisse testimonio oculari plurium refertur, qui Convictores absente suo Nutritio disparebant; reduce verò illo, et illi advolabant, aut è cavernulis suis prodibant in apertum. Accidit aliquando, quod à Junioribus Illustrissimis Sieckovij bini ejusmodi musculi enecarentur in Patris cubili, ob quorum necem tota die lugere visus est. Sibimet verò injurias, aut despectus illatos heroico prorsus animo ferebat; Nonnunquam enim pro Concione solenni invitatus, sub Sacri finem, quod decantabat, animadvertit Decanum quendam ambonam conscendisse, et dein totam Panegyrim dixisse; exclusus P. Stanislaus in mensa Nobilissima expectantibus cunctis Hospitibus aculeata certè verba non immeritò ex ore P.ris Stanislai proditura, Pythagorico majus servavit silentium, nec verbum adversus antagonistam proloquens: dolorem suum tamen internum ità celavit, ut nonnisi elapso anno justam querelam apud Moderatorem Provinciae deposuerit, addens: nè quid ex passione scriberet, idcirco hanc querelam suam integrô annô pressisse. Erat autem P. Stanislaus dono dicendi ità praeditus, ut non multis quasi moris interpositis aliquando ad dicendum ex necessitate angariatus, Venerabili quodam Ecclesiastico attestante ad Concionem Glerogus, ~~Spiritu Sacro,~~ eruditè, ~~ornatè fructuosè~~ dixerit; quo plurimi fervore sententijs sacris aptè interpolatis fructuosissimè vice hac ut alias

enim ab illo in agone disponi Nobilitatis etiam magna Persona
experiêre; missis pro eo per multa stadia internuncijs, à quibus non
dum extractis literis jam Pr Stanislaus ultrò aderat: Deo servum
suum fidelem dirigente, et in itineribus à nece subitanea præservante;
quando ipse enim inter montium suorum abdita in latentes Prædones
incidens audivit: Sinamus eum ire, est Pater noster. Memoratu
quoque dignissimum est, quod hic vir apprimè eruditus, latinæ, græcæ
linguæ, nec non hebraicæ peritissimus, breviarium Romanum in græ„
cum transtulerit idioma quod et recitabat. Ut sic illud absque mendis
decurrerit: complurium ~~S. Patrum Græcorum~~ Nostrorum ~~Doctorum~~ Theologorum authoritate roboravit Græcam orationem
~~[illegible]~~ suam. Eruditione pariter græca in mensis Nobilis
Acatholicos ad ruborem confundebat, ita ut præsente hoc Surdo silere
potius, quàm disputare maluerint. Hebræa quoque notitia Ju„
„dæis non indoctis sæpe crux fuit intolerabilis; cùm eos ignaros
ex qua Tribu Israël forent, in prostitutionem ex Tribu Issachar esse
convincebat, ut de uno insigniter confuso ipse in suis manuscriptis lati
exponit, qui alias audacter denteis suis pro sua perfidia tuenda, ad
~~[illegible]~~ Illustrissimas adstans, acuebat; donec à Pre Stanislao eruditè
convictus se ex Tribu Issachar esse negare nequaquam poterat ad explosio„
nem Auditorum. Pudicitiæ etiam alienæ tantam curam ge„
„rebat, ut ad imbecillem sexum servandum in flore virgineo peculium
„suum potiori ex parte impenderet, periclitantes aliò ablegando, et alendo.
Cura sua pervigili id effecit, ut multæ etiam è statu haud ignobili
omne malum tolerare prælegerint, quàm naufragium angelicæ
x virtutis subijssent. Contigit quandoque, cùm lascivus nescio quis
Jupiter in castioris Danäes impurus amoris non posset per oblatum
sæpius aurum influere, vi tandem oppugnare castrorum ausus, animi„
mitiorem opinione sua reperit virginem, et exhortationibus Pri
Stanislai armatam; siquidem hæc dentibus acuta velut acie usa
post inflictos aliquot perdito amatori ictus, robustæ virtutis suæ,
et haustæ à Mystico suo instructionis luculentum specimen dedit.
Viri autem Apostolici ingentem zelum abunde velyssa manu propria
scripta loquuntur, ad perfidiam Judaicam, Lutheri et Calvini hæ„
„resim evertendam, ad dissolvendas hæreticæ, et hebraicæ pravitatis
objectiones validè concinnata. Nec minùs in factis ac scriptis

acerrimus hæreseos fuit Antagonista, libros hæresim olentes,
velut accensus Samson direptum, discerptum abolitum ibat; ipsorū
unâ tantùm vice duo vasa præstantissimi meriti loco, ut ipse
tunc scripsit, pro genethliaco Xenio Celsissimo Principi Carolo
Episcopo tunc Olomucensi præsentavit: et plura vasa similis
pulveris venenati ad ventura pollicitus fuit. Cui Principi ap-
primè charus erat Pr Stanislaus, ubi et donum Natali Carolino
gratissimum fuit. Quantùm verò pro Conversis ad fidem zelave-
rit, vel una hebræa Virgo conversa sufficiat, cui 500 fl impetravit,
ut è censibus opem certam capere valeret. Et ipsis ejus expli-
cet curas ipsas gessit, ut integros geminos pagos, quos ab hæresi
vindicavit in fide catholica roboraret, conservaret, lupos cum Luthe-
ro ululantes profligaret. Hos præter pagos, ducentos triginta
quatuor numeramus ab eo conversos intra aliquot tantùm annorū
spatium; totius enim Missionis tpre nondum ad calculos revoca-
re licuit conversos. Insuper Missione Aplica sunt etiam ardua,
et laboriosa; dum à Supremo Provinciæ Moderatore pro annis
futuris confirmabatur, gratiarum actiones humanissimè per-
scribebat, et de sui dispositione, ut Monticulis suis servire ultra
posset, gaudium animi explicabat. Hæc inter etiam Illustrem
Dominum è Suprema Quæstura Cæsarea despoticè dejectum, et ad incitas
cum prolibus ruentem, ità per p: m: Adm Rdum Prm Fridericum Wolff
apud Aulam Viennensem adjuvit, ut Cæsarea voluntate, rursus mu-
neri, et fortunæ sit restitutus. Et ità pertransibat ubivis bene faciendo Pr
Stanislaus: pertransibat verò etiam in cano senio pedestri sua occasione,
multa per diem decurrens stadia; cujus zelus excurrisset etiam ad gen-
x tiles, et barbaras nationes, nisi ab Adm Rdo Pri Grāli Paulo Oliva
ardentia ejus desideria fuissent nimium dilata. Zeli autem ejus
unicus scopus erat, ut laureâ Martyrij coronaretur; pro qua gratia
in Conspectu Religioso Conscientiæ examine per SS. Martyrum
merita, apud Divinam Majestatem instanter supplicabat. Porrò
Zeli ejusdem apostolici finem coronare Divinæ placuit Bonitati,
dum 7ma Maij festivo S. Stanislai martyris huic Pr Stanislaus
natalizans

natalizans Wsetinij: qui cum ad spirituales animarum suppe-
tias ferendas Zelus impulerat, à desævientibus Hungaris: indubiè
pluribus hastis, apud quos pro Innocentum, et inermium vita insta-
bat, orabat, supplicabat: ac interrogatus quis esset? se sacerdotem
Catholicum esse confessus est, immanibus viginti tribus vulneribus
~~[illegible]~~ interemptus est; atque ità qui pro Innocentibus stetit, dilapsis,
alijs Sacerdotibus, ipse innocentissima occubuit victima; postquam
ipsi prius sacram apud ipsos fecisset exomologesim, aliorumque quam plurimorum hac die à prandio
excepisset. Necis sua ipse præsagus, dum non diu ante, tum in
nostro Collegio, tum Olomucensi, se occidendum distinctè prædixit.
Cadaver denudatum post triduum in fumo esse à Rdo Dno Curato
Zlinensi repertum sub aperto, resonantibus, qui vehebatur per Pa-
rociæ campanis ad Collegium nostrum devectum est. 8va Maij,
viridis, flexilibus membris, vulneribus adhuc sanguinantibus,
accurrentibus ad spectaculum plurimis, ità ut plebem arcere ne-
cesse fuerit. Demum 12a Maij compulsis omnium Urbis campana-
rum, ipso Rdo Pre Franciscanorum Guardiano præ jubilo campanam
turris suæ agitante, et Admodum Rdo Dno Decano loci, ultrò deinde ad
id offerente cum 4. Ecclesiasticis: Cistercensium Priore, ejusque socio
stabilitatum umbellis, Senatu Urbis cum Nobilitate, funus est deductum,
et crypta nostra illatum; ubi propter eluviem aquarum visitata
crypta, et cadaver ejus à Præfecto Templi, et Domus Procuratore, non-
nullisque Confratribus nostris, post 12 dierum intervallum inspectum:
repertum est corpus mobile, vultu ~~[illegible]~~ velut ridente, atque ullo
pudore, et adhuc sanguine dimanasse. Icones cruenti occisi, varias
in regiones sunt translatæ, unam earum Cremonensi in Italia
Moniali dentibus dolentibus applicatam sanitati fuisse perscripsit Castren-
sis noster. Una Augustissimæ Imperatrici Viduæ à Rdo Pre Miller
Confessario Ejusdem repræsentata, Eidem, et Aulæ venerationi fuit
cum effato Augustæ: hic verè Martyr est. Hæc videns, et inaudiens
R. P. Forsen ablegati prosperitate Serenissimi Regis Portugalliæ
Theologus, Missionum Indiæ occidentalium Procurator: frustum
aliquod tegumenti cruore respersum à Collegio nostro expetijt, et pro
impetrato

impetrato Collegij Capiti grates fusas calamo rependit, spolium hoc pretiosum in Lusitaniam deportatur. Plura iis dignimus fusior perscribet ~~penna, aut experiet~~ calamus. Nos exuviis tam Apostolici viri, velut thesauro in agrum nostrum deposito gloria„ „bimur in futurum.

huc.

Charissimus vero Simon Machaczeck Moravus Slaffkoviensis natus A° 1652. 22ª octob. absoluto Rhetoricae studio Sacristae munus ad Thaumaturgam Tuschanensem suscepit, et subinde Româ peregrinus redux ad Soctem 1682. 7ª Decemb. est receptus. in qua Janitorem egit annis 17. Sacristanum 11. Credentiarium 4. In vita religiosa ac morbo extremo potissimum eluxit in eo exemplaris pati„ „entia, pietas erga Dhem Eucharisticum, et cum DEo ubiis manente conjunctio. Reverens erga Superiores, et veri simus Obediens, cum gaudio quoque simon simplex vexari amabat, et vexari non recusabat; qua Sancta simplicitate, ceterisque virtutum consortio accepisse eum ad eos non dubitamus, qui beatissimam Divinae Essentiae simplicitatem et in ea immensam contemplantur Majestatem.

Absolutis defunctorum laudibus, quae ad gloriae Divinae incre„ „mentum domi, forisque à superstitibus memorabilia acta sunt, succinctè nunc referre libet. In aede Xaveriana gemini Exhortatores, ad Divum Georgium gemini sacri Oratores fervente utriusque dictione frequentem pascebant Auditorem. Diebus quoque anteciniralibus, per Quadragesimae et Theophoriae Statutos dies dictum est cum affectu, et piarum mentium profectu. Festo S. Victoriae. Dm̃ RR. Dij Schwarzenbergensium sierats. Festo S. Patriarchae Ignatij Wellehradio Sacr. Ord: Cisterc: celeber Ecclesiastes. Festo S. Xaverij domesticus noster Panegyristes, exquisito studio apud nos peroravere; Reverendissimo Dño Wellehradiensi Praesule, per trinas has festivitates solemniter Pontificante.

Extra domesticas ambonas expetiti, et auditi sunt Encomiastae nostri in solemnitate S. Bernardi Wellehradij, in solemnitate S. Antonij Paduani apud RR. PP. Franciscanos urbis hujus paene per bihorium.

+

In solemnitate S. Barbaræ Buchlovij Primitiante Cisterciense. ad S. Vitum extra Urbem festo S. Viti. In solemnitate SS. Trinitatis Crem„ „sirij dupliciter: frequenter Ostroviæ, Wesselij, Marzatitzij. Bilo„ vitzij et Milotitzij.

Pro pio illicio ereximus in Templo nostro pegma ferijs antecineralibus ad avertendam pestem, famem, et bellum. Die Parasce„ ves Sepulchrum Domini tempori afflicto accomodum cum epigraphe: ab hac ad illam: nempe ab spinea corona, ad gloriosam phrase Christia„ „num esse indicantes. Atque his studijs eum affectum lucrati sumus, ut copiosissimi pœnitentes tum Paschales, tum alio tempore sacras exomologeses apud nos peregerint constanter, ut infra è sacrorum convi„ „varum numero recensebimus.

Utque majorem similem affectum, et decorem domus Dei procuraremus, omnia sacella rubro aureis peristromatibus à domestica, et aliena liberalitate condecorari curavimus. Quæ cum majoris aræ similiter aliis adornatæ uniformitate totam faciem Templi ingredientibus exhibent gratiose rube„ „tem, et aureè refulgentem. Decori huic accessêre baltcola pro omnibus altaribus pariter gratiosa. Planetæ 4. ex damascena undulata, frontalia terna. Domina Meixneriana, cui Jus cryptæ impetratum est in Templo nostro eidem 100 fl. legavit ex domus venditione pendendos.

Inter memorabilia operariorum numeramus conversos à luthe„ ranismo 8. à calvinismo 4. deductos reos mortis cum dispositione salu„ tari ad furcam ternos, ægros, et moribundos perfrequentes, quibus nocte, dieque vocati, operam ipsi dignissimi assumus. His accensemus complura paria, deposito odio ad amicitiam reducta, lytsamis S. Patris Nostri puerperas adjutas 13. quarum 11. masculas proles enixæ, ijsdem nomen Ignatianum indidêre, et Divi Patriarchæ honori anathematis loco peristromata nonnulla, collectis ex parte suis symbolis in sacello Ignatiano appendi fecerunt. Divus Xaverius singulares, etiam de Nobilitate hoc anno habuit cultores, cujus gratijs alia Personæ colli sanitatem, alia pedum integritatem, alia proli suæ periclitanti vitam.

+

vitam, alia propriæ vitæ prolixitatem post elicitum votum adscribit; sicut et è nostris unus, qui devotionem Xaverianam inter vitæ discrimina se serviturum spopondit.

Congregatio Latina ita Dominicâ Palmarum scenas adornavit, ut etiam lugubrem Processionem in Theatro repræsentaverit. Con„ „gregatio Matris dolorosæ 137. Personis auctior evasit; cui Illmarum Personarum beneficio Statua nova Bssæ Matris, et vesticula auro dives pretio 100 fl, et alia vesticula cum 6. tunicellis ex serico accessit; uti et candelæ de cera, et butyrum per annum pro lumine Parthenio sufficiens. Juventus Scholasti„ „ca plerumque sedulè per actiones exercitata fuit; parva „Principijs unita bis gratiosè palàm prodivit. Rhetorum trias Franciscanorum his Hungarorum ordinem est amplexa: alia disco„ „la trias ad Martem, aut alio est amandata.

„Seminarium illud præter ordinaria memorabile egit, quòd in possessorio liberi cerevisiæ invehendæ disturbata ex parte diversa commissione perdurit.

Lis circa Prærogativam, et umbellam Sodalitatis Latinæ à PP. Franciscanis Romæ apud Sacram Congregationem Rituum per quadriennium agitata, ad mentem Adm. Rdi Patris Nostri, per amicam conventionem, cum Adm. R. Pre Provinciali illius ordinis, et Provinciâ, est composita, ut quævis umbella in priori permaneat statione. Altera pars litis quoad designationem Templorum in publicis supplicationibus pariter ita complanata est, ut in arbitrio Venerabilis loci decani remanserit totum, qui hactenus nostram semper prætulerat Ecclesiam; tum quòd clerici Religiosi essemus, tum ob me„ „rita nostra in ejus Ecclesia, et in vicinia à nostris conversa; olim jam parta; quod testimonium pro nobis etiam ad Sacram Rituum Congregationem transcripsit. Accepimus præterea Personam quam„ „piam è Dubskiana familia $\frac{m}{10}$ vel $\frac{m}{12}$ in bonis nostris prætendere

+

et in potenti brachio confidere; sed sententia de Habrowano pro nobis lata, etiam in reliquis nos bene sperare facit. Haec de litibus.

Collegio toti per apertionem obmuratorum graduum, perfectumque repositorium Lux illustrior inducta, et ambitus prolongatus. In refectorio erecta Cathedra nova. Novissimè verò submisso ~~Novo~~ ex Pragensi Clementino ~~Universitate Carolo- Ferdinandea~~ Collegij novo Capite condecorati, et recreati sumus in Septembri, veteri aliò rursus ad claves discedente.

Sub novo Capite per humanam salutationem, et pro Solemnitate Xaveriana invitationem Primorum Urbis, effectum, quod per biennium denegatus aquae fluxus domui per aquaeductus ubertim sit restitutus.

Daranex, et Habrowani Consortia Solemnitates S. Patris Nostri, et S. Victoriae incrementum hoc anno sumpserunt pietatis. In ijsdem bonis pertransitus militares unà cum subditis supra bis mille Rhenenses damnificati, uti et molae recens, et operosè erecta cum quinque caesarum exustione: contrà benedictio,, nem in vineis, et piscatione Olssinensi experti sumus. Ad extre,, mum debitum ultimatum 378 fl. expunximus. Absque haec, et alia minus memorabilia, quae praeterimus ad ejus referimus gloriam, in cujus memoria aeterna, minima aequè ac maxima sine fine perennant.

Missio montana Ungariam versus 1708.

Gemini Missionarij montanam hanc missionem Ungariam versus, hoc etiam anno excoluêre; sublato enim è vivis, ut retulimus R. P. Stanislao Rapalis, Missionariorum futurorum purpurato à sanguine profuso proprio cruore, antesignano. Eidem post breve intervallum, libens lu,, bensque Moderatorum assensu, successit Rhetoricae apud nos actualis Professor, tanquam olim apud nos emeritus Musarum Praeses Patri Stanislao.

Alter Missionariorum pariter saepe vitae discriminibus expositus, et post septem annos velut post herculeos labores, à labore hoc sub-levatus, magnum hic apud summos, et imos, praesertim Strojakovien-ses, et Swittoviczenses Valachos reliquit desiderium, profusis etiam lacrymis in signum quomodo dilexissent Eum. Ad quos supremo hoc annò dixit quinquagesies cum zelo, et energia, et hinc fructuosè; toties ferè etiam Catechesin explanavit. Ultra 30. extremum unxit. baptizavit 15. septem paria copulavit. qua-tuor millia Sacramentaliter absolvit; hyperduliam Sanctissimae Virgi-nis Ubique amplè adauxit. Huic recentibus viribus praeditus, et morte R. P. Stanislai animatus, successit alius è statione Sibiniensi, id quod eidem futurum praedixit P. Stanislaus, tunc suus aliquando in Humanioribus ~~discipulus~~ Praefectus. Quibus am-plissimos fructus, et animarum spolia, velut novis Missionarijs, et meliorum charismatum sectatoribus, animitus adprecamur.

Universim.

Communicantes quadraginta duo millia.

Dictiones ad Populum. Ducenta quinquaginta.

Catecheses centum triginta quatuor.

Scholares centum quadraginta.

Conversi à lutheranismo octo.

À Calvinismo unus.

Congregationes duae.

Seminaristae septemdecim.

A. M. D. G.

Res nostras, et Cumprimis
Residentia Conveniantia decreta Pontif.
et non nulla' epistola' Probine.

Res nostras

et Residentia convenientia.

DD R 83

KSIĄŻNICA CIESZYŃSKA

ksiaznica@kc-cieszyn.pl